Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1345
Quelle:
Copyright:

ut ibi dicitur e veteribus Membranis V. Cl. *Joh. Nicotii*, e nostro vero *Codice* non uno loco emendabilis, quamvis et is in propriis praesertim nominibus passim peccet. Ita legit *eracleam*, *agaguldeam*, ubi Editio *cit.* una cum *Beda* T. II. *Colon.* 1688. p. 236. f. habet *Erostachiam*, *Agagus deam* &c. Prophetia ipsa consistit in Versibus illis ἀκροστίχοις:

Judicij signum tellus sudore madescet &c.

quos cum e graeco traductos jam *Augustinus* L. XVIII. *de Civ. Dei* repraesentet, et iterum *Beda l. cit.* nemo doctorum intelligit, qua ratione *Beaugendreus Marbodo* Sec. XII. scriptori tribuere potuerit. Atqui id fecit in edit. *Opp. Hildeberti Cenom.* et *Marbodi Redon. Paris.* 1708. *col.* 1630. f. Igitur *Mauriana* etiam Monumenta non sine discrimine lauda.

IV. *fol.* 16. p. 2. Excerpta prolixa e PP. et recentiorum Ascetarum Scriptis de variis Virtutibus et Vitiis.

V. *fol.* 87. Tractatio de Confessione et Conversione cum multis Exemplis e *Caesario Heisterbac.* depromtis. Initium: *Confessio oris cum contritione cordis secundus baptismus est.* &c. Subjunguntur et alia multa ejusmodi Exempla indiscriminatim lecta, quorum fides penes Autores esto.

VI. *fol.* 142. resumuntur Excerpta paullo superius indicata de Silentio, Obedientia, Tentationibus &c.

VII. *fol.* 177. p. 2. Rhythmi quidam latini sacri modulis musicis inclusi, levis momenti, biniique lingua belgica de Mundi fallaciis, quorum alter incipit:

Uront sich op dyne hode altoes!
Want die werlt de is also loes.
Er genoechte is vncuysheit,
Er raet is houerdic en gyricheit,
Er deynst is soete, er loen is cranck,
Er blome is scone, er vrucht is stanck &c.

CCCXLV.

739 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. 8. nitide scriptus, passimque rubricis enotatus, fuit primum *Conradi Celtis*, ut solitum ejus Μονογραμμα duplici C. duplicique P. (*Conr. Celtes Protucius Poeta*) constans praevium testatur, emtus dein *Vienne die 27. January. Anno* 1519. a *Joh. Gremperio Joh. Cuspiniani* Amanuense, de quo varia retuli in *Hist. Typogr. Vien.* ejusque pariter Sigillo e literis M. Θ. et Γ. composito insignitus, demum κτη-

μα